



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1551. usque ad annum 1553

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1771

VD18 90118561

§. 77. Caroli V. rationes Philippum Filium suum Reginæ Angliæ
desponsandi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66577)

§. LXXVII.

Sæc. XVI.
A. C. 1553.*Caroli V. rationes Philippum Filium
suum Reginae Angliæ de-
sponsandi.*

Interea Commendonus Polo Cardinali Dandini Legati nomine significabat, quod ipsius Legationem differri Cæsar peroptaret, siue eoquod turbidus esset Angliæ status, ac Pontificii Legati adventu tumultus excitari posset, siue inde obstaculum nasci valeret nuptiis, quas Carolus V. inter Philippum filium suum, & Reginam conciliare meditabatur, etsi Maria vix non trigessimum octavum, Philippus vero vigesimum sextum ætatis suæ annum expleisset: Verum rationes, quæ Carolum Cæsarem ad hæc nuptias tam sollicitè urgendas incitaverint, intellectu assequi haud difficile erat; quippe Imperii, Hispaniæ, & Angliæ vires conjungere moliebatur aduersus Franciam, cum prosperis Henrici II. armis invideret. (*)

Infu-

* Hanc in rem Continuator allegat Pallavinum, qui tamen loc. cit. hæc duntaxat scribit: *Carolus ratus forsitan est, ætatem suam gravem, suamque tenuem valetudinem, neque consentaneam, neque optabilem novellæ sponsæ futuram.* Hæc ille, quid ergo juvat citare

Aucto-

Sæcul. XVI
A.C. 1553. Insuper haud ignotum erat Cæsari, quod Cardinalis Polus ejusmodi connubio haud faveret, eo quod illud ipsum Cæsari, cum sese exinde novis implicaret turbis, sat molestum, parum vero congruum censeret Mariæ Reginae, quæ, ut putabat Cardinalis, hoc vinculo suorum subditorum animos a se alienaret, cum eorum non pauci ejusmodi conjugium minime approbarent. Aliunde Carolus V. suspicabatur, quod ipsemet Polus has nuptias ambiret, quamvis hæc suspicio infirmæ admodum rationi ininiti videretur, cum eo tempore Polus jamjam sacro Diaconatus ordine esset initiatus. Hisce rationibus permotus Cæsar, e re sua fore existimabat, ut Cardinalis Legationem impediret.

§. LXXVIII.

Auctores, illos vero minime sequi? Ergone ad invidiam Augustissimæ Domui Austriacæ acerfendam pro scribentis arbitrio quædam fingere licet? unde ex historiæ testimoniis comprobatur, tam prosperos fuisse armorum successus, ut invictissimus Cæsar invidia ductus nuptiarum subsidio tria regna conjungere fuerit molitus? quorsum vero ejusmodi commenta tendant, ex Viri hujus genio jam sæpius manifestato sat aperte elucet.